

Arz 2. dek = 2 k. 4 of.

Grading

QUAESTIONES HERODOTEAE

DISSERTATIO INAUGURALIS PHILOLOGA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE

FRIDERICA GUILIELMA BEROLINENSI

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES RITE CAPESSENDOS

DIE III. MENSIS MAII A. MDCCCLXXXIII

PUBLICICE DEFENDET

AUCTOR :

CAROLUS FRIES


HOLSATUS.

ADVERSARIJ ERUNT:

ERNESTUS HANSEN, CAND. JUR.

FRIDERICUS WALTHER, CAND. PHIL.

GUILIELMUS SCHEUREN, CAND. PHIL.



BEROLINI 1893

RICHARD HEINRICH.

Риджастро, му
Чарлсманит' 1920 10 18, 1920

Логоско: Лос.: V

a 1.629 2020



AVUNCULO DILECTISSIMO

DR. MAXIMILIANO SALOMON

PIETATIS DOCUMENTUM.

Leltári szám:

292

számozott:

3 II. 18-n.

In Aeschyli Persis ut chorus primis versibus exercitum cum rege iam diu profectum necdum ullum nuntium redisse, praefatus est (1—15) ducum et populorum militantium nomina perlustrat. Hunc agminis recensum, qua maxime serie poeta partes consummarit, eadem hic subiungemus:

Susa, Ecbatana (16), Κίσσιον ἔρκος (17), Nilus (35), Memphis (37), Thebae (39), ἑλειοβάται ἐρέται (40), Lydi (42), Sardes (47), Tmoli accolae (51), Mysi (54), Babylon (54), τὸ μαχαιροφόρον ἔθνος ἐν πάσης Ἀσίας (58). Quem regionum ordinem temere nec certo consilio ab Aeschylo observatum crederes, nisi ex alio Persarum loco eluceret, eum quam strictissime gentes ad terrarum situs deinceps enumerare. Nam sicut umbra Darei ad inferos rediit, chorus quantas ille res adiuvante fortuna gesserit cantico celebrat. Quibus laudibus exemplorum firmitatem allaturus insulas et urbes Jonicas ab illo subactas enumerat. Atque primum septentrionales Thraciae usque ad Pontum Euxinum regiones affert (858—66), tunc Aegei maris insulas praestantissimas tali ordine, quo primum meridiem versus, secundum oram Asiaticam, ducatur, Lesbum Samum Chium nominet, ad solis occasum inde deflexus Parum, Naxum, Myconum Tenum, Andrum laudet, denique Graeciae litora secutus iterum aquilonem petat, ut ἀρχιάλους μεσάκτους Lemnumque commemoret, postremo per Icariam et eam Asiae partem unde detinuetur

rat iter, reversus Rhodum, Cnidum, Cyprum proferat. Urbes ipsas in hac insula sitas Paphum, Solos, Salaminem eodem ductu dinumerat, quo procedens ab anfractu litoris Asiatici orientem versus prodire instituerat. Sed testimonio paene opus non erat in re vix dubia, quoniam notum est, illius aetatis homines et a fabulosa poetarum et theologorum vaniloquentia abhorruisse et veritati meracae dignoscendae valde fuisse deditos. Id docent itinerum descriptiones,¹⁾ multis Aeschyli fabulis insitae docent logographorum opera, docent lyricorum quorundam in fabulis veteribus rationi adaptandis studia.

Qua de causa provinciarum catalogum ex integro iam inspiciemus, si forte rationem quandam locorum ex indigesta nominum mole possimus extricare. Ac primum affertur Susiana, deinde Media, tunc Arabia praetermissa Aegyptus ita quidem, ut ab ostio Nili²⁾ Memphin (37), inde Thebas procedatur (39). Tunc poeta retro conversus ad delta redit, cuius paludes commemorat (40), ut accuratius hos locos digerere non posset, si ipse Nilum vidisset. Iam vero per mare quasi in Asiam transit affertque (42) Lydos, apud quos libenter morari videtur, cum uberior sit de sedibus eorum nec fines auro ditissimos maris undis ulla parte lambi contendat Tmolique non obliviscatur (l. c.). Mysos adiungit hastarum iactu insignes (54). Tunc autem multis populis intermissis statim Babylonem nominat. In fine *μαχαιοφόρον γένος* ex tota Asia regem secutum profert (58). Videmus non defuisse poetae in populis ordinandis certum consilium. Bipartito enim regnum Persarum describit, occidentalem partem prius et ut sibi Graeco homini notiozem, accuratius exprimit, ita ut a meridie ad septentrionem procedat, tunc orientalem regni partem omnem uno verbo stringit.

In hoc ordine miramur cur poeta Susis oriundus in adversas regiones bis prodeat nec incipiens ab uno fine sic totum regnum usque ad contrarium terminum trans-

gressus sit, quo fere modo insulas Graecas ut vidimus enumeravit. Herodotus populorum Persicorum partem ita perlustrat ut ab occidentali Asiae citerioris litoribus incipiat et deinceps usque in Armeniam et Matienam accedat, ut homini Graeco maxime consentaneum erat. Siquis obiiciat poetam ex animo personarum suarum loqui barbarisque Susa caput mundi visum esse, respondendum est, Aeschylum Persis suis plurimis in rebus Graecorum mores et consuetudines insinuare in divinisque rebus suam sequi religionem.

Nonnihil ad illum ordinem explicandum pertinere puto, quid rationis inter Hecataeum et Aeschylum exstiterit inquirere; qua de re ni fallor primus Dielsius egit, qui ex consensu locorum quorundam alterum ex altero haerere collegit. ^(Hecataei XII p. 502)

Stephanus Byzantius s. v. *Μηδία* hoc refert: *Χώρα κατὰ τὰς Κασπίαις παρακειμένη πύλαις· Ἐκαταῖος Ἀσία· ἀπὸ Μήδου υἱοῦ Μηδείας*. Hunc Medum barbarorum terram subegisse pugnaque contra Indos facta cecidisse in Apollodori (quae vocatur) bibliotheca I 9, 27, traditur. Hecataeum autem artis etymologicae studiosissimum fuisse constat, (cf. Diels l. c. p. 441), ita ut ex hoc mutuati videntur esse, de Medi gestis fatisque illa quicunque composuerunt (fr. 171 M.). Poetas qui fuerint ante Hecataeum cum de Medea liberisque eius agerent nihil de Media terra cogitasse Pausaniae loco satis probatur (II 3, 7), quo primum narratur secundum Herodotum (VII 62) Medeam Athenis in Asiam fugientem homines illos ex se Medos nominasse, filium autem illi fuisse nomine Medum; deinde Hellanicum eum filium appellasse Polyxenum. Non dubium videtur, quin Hellanicus hoc in carmine quodam epico invenerit, in quo de terrae nomine nihil dictum esse potest. Tunc ad poetica testimonia transitur primumque Naupactia citantur carmina, in quibus duo filii nominati sunt, Mermerus atque Pheres, quorum alter a leone la-

ceratus sit. Cinaethonis postremo mentio fit, qui Medum et Eriopin Medae filios appellet: *πέρας δὲ ἐς τοὺς παῖδας οὐδὲ τούτω πεποιημένα εἶσιν*. Non affertur Hesiodus qui (theog. 1000) Medae filium fuisse dicit Medum, quem in montibus Chiron erudivisset. Itaque poetae nihil de etymologia illa attulisse videntur, sed Hecataeum primum eam protulisse ex his efficitur. Quodsi Pindarus iam Ol. 76, 3, Persas *Μηδείους* appellat (Pyth. I. 78), ipse Hecataeum videtur legisse. — Iam vero Aeschylus in Persis Dareum ex inferis redivivum inter alia priores reges Persarum enumerantem facit. Quorum cum primum Medum fuisse dicat (756), verisimillimum videtur, haec ex Hecataeo sumpta esse. Athenaeo teste (X 480 C., 447 C.) Hecataeus primus narravit Aegyptios hordeaceum vinum bibere. Aeschylus autem cum in Supplicibus se id nosse significet his verbis (919):

*ἀλλ' ἄρσενάς τοι τῆσδε γῆς οἰκίτορας,
εἰρήσει' οὐ πίνοντας ἐκ κριθῶν μέθυ,*

quos rex Pelasgus Aegyptiorum praeconi dicit, ab Hecataeo iterum pendere videtur. Herodotus autem II 77 Hecataei verba accuratius expressit.⁴⁾ Praeterea tradit ille (fr. 133) Paeones Thraciam incolentes *βρῦτον ἀπὸ τῶν κριθῶν καὶ παραβίην ἀπὸ κέγγρον* bibisse. Quo loco *Hellanicus*⁵⁾ usus videtur esse, qui Thraces *βρῦτον ἐκ κριθῶν* hausisse testatur. Aeschylus igitur ex Hecataeo didicisse potest, quae in Lycurgo satyrico expromit:

*καὶ τῶνδ' ἐπίνες βρῦτον ἰσθαίων χρόνῳ
καὶ † σεμνοζόπτει τοῦτ' ἐν ἀνδρείᾳ στέγγ.⁶⁾*

Lycurgus Edonum Thracum rex erat, Hecataeus illa de Paeonibus Thracibus tradiderat, ex qua re conii-cere liceat, Aeschylum priusquam fabulam componeret, non solum de argumento quae scripta extabant legisse, sed etiam de terrarum et hominum natura, quos describendos sibi proposuerat, Hecataeum consuluisse, cum non

ignoraret quantopere talium rerum doctrina hominibus suae aetatis probaretur.

Stephanus Byzantius v. *Λιβυνοὶ* hunc populum Hecateo teste a Libyrno oriundum esse profert. Eum naves Libyrnicas et *μανδύην* vestimentum invenisse addit. Muel-lerus (F. H. G. I fr. 61) dubitat, utrum omnia quae Stephanus v. c. profert, Hecataeo tribuenda sint an prior pars quae sit de Libyrno eponymos sola. Sed ne illa quidem ab eius stilo aliena sunt, semperque Graeci qua quaeque civitas arte praestabat, eius inventionem ipsi conditori aut alicui ex eius propinquis attribuere vetustissimis maxime temporibus consueverant, veluti Thesei Charondae Zaleuci Mariandyni exempla docent. Quare nescio an iure illa de mandye Hecataeo tribuantur. Iam vero Aeschylus in fragmento quodam, quod cuius tragoediae sit ignoratur (fr. 354 Nauck), hoc dicit: *Λιβυνοῦλης μίμημα μανδύης χιτῶν*. Cogitandum est Hecataeum non tam breviter quam Byzantinum de rebus illis egisse, sed e more suo diligentius eas descripsisse. Aeschylus autem versu illo de mandye ita loquitur quasi formam eius nosset et notam civibus suis putaret. Quae notitia nisi ex logographo undenam demanarit difficile est intellectu.

Herodotus II 77 Aegyptios in duas partes dividit: „οἱ μὲν περὶ τὴν σπειρομένην Αἴγυπτον οἰκέουσι, — — οἱ δὲ 92, 2 ἐν τοῖσι ἔλεσι κατοικημένοι. In Aeschyli autem Persis (v. 40sq.) ἐλειοβάται ναῶν ἔρεται δεινοὶ πλῆθος τ' ἀνάριθμοι afferuntur. Herodotus de navibus illorum paludes incolentium multus est et nomen earum „βαρῆς“ profert (II 96; VIII 98; III 126). Quid veri similis est quam Hecataeum quoque de re navali Aegyptiorum paludes incolentium egisse? Sed baridis nomen apud eum iam extitisse apparet, cum (Pers. 551, 1046. Suppl. 805, 841, 849; cf. Mus. Rhen. 41, 1) Aeschylus non uno loco eas appellet. Quod nomen si notum fuisset omnibus, Herodotus non tam diligenter explicasset (l. c.). Aeschylus autem ut multa nomina barbara hoc quoque

usurpavit et versibus suis inseruit. Ἀμφίστροφον appellat barin (Suppl. 849) ut descriptionis aliquid ei praesto fuisse appareat si non tam copiosae qualem Hérodotus profert, tamen satis distinctae (Her. II 96).

Hand II 112.5
Wied. 435
P.W. VII, 2,
2833 h

Dielsius (l. c.) fabulam de Helena in Aegypto detenta illam iam ab Hecataeo narratam esse docet, cuius rei multa ex fragmentis eius testimonia affert, inter alia τόπον ἐλένειον, qui περὶ τῷ Κανόβῳ situs sit (fr. 288). Sed facile, ni fallor, fieri poterat ut similitudine vocabulorum Helenae nomen et eae voces, quae cum ἔλος componebantur, confunderentur. Sive Graeci qui regiones illas Aegypti incolebant, Helenam adhibebant, praesertim cum crederent eam ibi versatam esse, sive Hecataeus ipse more suo critico de verbi stirpe disseruit, consentaneum est discerni non posse. Sed tales voces contemplati ἔλειογένης ἐλειονόμος ἔλειος ἐλένιον aliaque non dubitarim, quin tale quid fieri potuerit. Affirmatur vel potius orta est haec suspicio ex loco quodam Aeschyleo quo ludit mirum in modum in Helenae nomine. In Agamemnone legimus hoc (664 sqq.)

τὰν δορίγαμβρον ἀμφινει-
κῆ δ' Ἑλέαν· ἐπεὶ προπόντιος
Ἑλέανος Ἐλανδρος ἐλέπτολις
— — — ἔπλευσε.

Ἑλέανος sive dorice cum aliis scriptum Ἑλένας non dissimilis est illi ἐλένειος. Itaque coniecturam periclitatus sim, apud Hecataeum aliquo modo de nominis ἐλένειος τόπος origine quocumque loco dissertum esse vocemque illam cum Helenae nomine per etymologiae temeritatem coniunctam esse. Cuius artificii memoriam Aeschylo inhaesisse in choroque illo de Helena conscribendo animo eius obversatam esse puto. Non dissimilis nominum confusio accidit, cum Thonis urbs ad ostium Nili Canobicum sita cum Thone qui in Odyssea (δ 228) est, ita confun-

deretur, ut ab historicis quibusdam rex vel praefectus Aegypti effingeretur.⁷⁾

Multis locis Aeschylus rerum Aegyptiacarum notitiam expromit et pleraque de his Hecataei Libyae debere puto. De terrae natura (Suppl. 3) de vestitu hominum (ib. 224, 269, 685, 719) de numinibus (ib. 860, 889) de victu (ib. 727) de moribus (ib. 357) poeta verba facit⁸⁾. In Prometheo (811), Aegyptum *τριγωνον χθόνα Νειλῶτιν* appellat; sic eam appellare poterat is qui non totum regnum ultra Thebas patentem sed solum delta spectabat; in ipsa valle Nili vox illa locum non habebat. Iam vero legimus in secundo libro Herodoti (c. 15) Jonum sententia delta solum fuisse Aegyptum. Jones autem illos quosnam cogitaverit Herodotus inter viros doctos dubium non est: spectari illo loco sicut tot aliis eiusdem libri Hecataeum ab omnibus conceditur. Nihil addendum est, nam consentietur, puto, ab omnibus iterum exemplum extare, quo Aeschylum ex logographo suo didicisse manifestum sit (cf. adn. 7). — Sunt quidem quibus discrepent illi, velut de causis intumescantis Nili.⁹⁾ Herodotus (II 20 sqq.) tria profert arbitria: quarum primum Thaletis est (cf. Dielsii Doxogr. p. 226sqq.). *Ἡ δὲ ἑτέρα ἀνεπιστημονεστέρα μὲν ἐστὶ τῆς λελεγμένης, λόγῳ δὲ εἰπεῖν θουμασιωτέρη· ἢ λέγει ἀπὸ τοῦ Ὀλεανθοῦ γῆν περὶ πᾶσαν ῥέειν.* Iam vero irridet alio loco (IV 36.) similibus verbis γῆς περιόδους γράψαντας πολλοὺς ἤδη, καὶ οὐδένα νόον ἔχόντως ἐξηγησάμενον, οὐ Ὀλεανθὸν τε ῥέοντα γράφουσι περὶ τὴν γῆν κτλ. Quibus Hecataeum imprimis stringi certum est. Quare verbis eisdem fere illo loco usus eundem ni fallor significat. Habemus igitur Hecataei de incremento Nili sententiam, Tertiam Anaxagorae de nive tabescente sententiam (Diod. I 38) profert (II 22) maxime tunc temporis omnibus acceptam. Non solum Euripides eam profitetur (Hel. 1 sqq., fr. 230), sed etiam Aeschylus duobus locis (Suppl. 542 sqq. fr. 293).¹⁰⁾ Itaque Anaxagoream professus sententiam discrepat ab

Hecataeo. Tamen hac re nihil efficitur contra illam opinionem, nam Anaxagorae liber, in quo de Nilo locus ille legebatur post Ol. 78, 1 (468/7 a. Chr. n.) editus videtur esse, (Mar. Par. Ol. 78, 1. Plin. n. h. II 149) quo tempore priscus Milesii liber dudum talibus de rebus iam non consulebatur; praeterea poeta de terris et incolis, neque vero de remotioribus eiusmodi rebus, quibus perspicuendis philosophi operam darent, Hecataeum suum adibat. Neque recte iudicetur, quod in una re ab eo dissentiret, qua plurimi tunc homines dissentirent, ut Herodotus (II 22) testatur, fieri propter id non potuisse, ut permultis tamen aliis rebus eius vestigia premeret.

Non maioris momenti est quod Aeschylus Prometheum (844) et Danaï filias (Suppl. 299) de Canobo urbe loquentes facit, cum Hecataeus eam a Menelai gubernatore nominatam esse tradat.¹¹⁾ Neque vero ignoratur posteriorem Danao Menelaum fuisse. Aetatum differentias ille, ut poeta, non valde curabat.¹²⁾

Hecataeus (fr. 350) Themiscyram planitiem ἀπὸ χερσίων μέχρι Θερωάδοντος pertinere dicit. Cuius loci memoria Aeschylō obversata videtur esse, cum Amazonum, sedes ipsis illis regionibus non esse, sed futuras esse exponeret (Prom. 721 sqq.). Quo loco cum tempora tam diligenter distinguat, quod ad personas suas ibi nihil omnino pertinet, scriptoris cuiusdam fidem eum sequi suspicio. De genealogiae quodam auctore potissimum cogitandum est. Totius autem illius enarrationis tenor, qua Prometheus Joni viam perpetrandam describit, magis historicum quam epicum fontem respicit. Praeterea in ea descriptione v. 724 πόντου Σαλυνθησσία γνάθος commemoratur, quae vox versui hexametro non inseri potest, cum brevis v inter duas longas syllabas posita sit.¹³⁾ Non dubito igitur, quin in hac quoque narratione Aeschylus a logographo pendeat quem de eadem re verba fecisse ex loco, de quo supra dictum, videmus. Quae Herodotus

(IV 110) de itinere Amazonum tradit, admodum refragantur narrationi Aeschyleae, nam hic tradit Amazonibus meridiem versus procedendum fuisse, Herodotus autem a Thermo monte septentrionem versus. Qua re opinio nostra irrita non fit. Neque enim priorem quandam in his scriptorem Herodotus exprimit, cum tam copiosus sit de ea re, ut neminem antea eadem narrasse colligere possimus, nisi forte credis a se ipsum illic descivisse. Veri simillimum est istas narrationes eum a Graecis Ponticis audivisse schedisque suis commisisse. Immo elucet ante Herodotum aliam de Amazonibus traditionem vulgatam fuisse, quam ille impugnare et abolere videtur. Cui autem obloquitur libentius, quam Hecataeo? Quare hinc quoque causa nostra confirmatur. Ante Herodotum ea fabulae versio plurimum valebat, quam Hecataeus, ni fallor, ex Amazonia vel Theseide carmine epico mutuatus suae rationi accommodaverat. Eandem narrationem secutus est Aeschylus, qui cum nonnumquam cum Amazonia illa consentiat, fieri potest ut non ipsum carmen sed logographi eius excerpta exprimeret. Sed haec parum certa. Quod si verum vel veri certe simile esse fatearis Hecataeum inter fabulares fuisse Aeschylo auctores, eo minus negabis eundem propter periegesin consultum esse ab Aeschylo. In quo genere est ille de provinciis locus, ad quem longa sed necessaria ambagine redeam. Sed priusquam Graecorum monumenta conferamus, age inspiciamus barbarorum qualia insculpta videmus ab ipso Dareo in monte Behistano de provinciis regni Persarum. Hinc enim dubito an fructus aliqui huic rei sit percipiendus. Tres inscriptiones repertae sunt quarum explicatio Rawlinsonio Burnoufio Lassenio aliis debetur de quibusque pauca si videtur nunc exponentur.¹⁴⁾ (cf. tab.)

Prima Dareus provincias sibi subactas hoc ordine dinumerat (l. c. p. 5): Persiam, Susianam, Babylonem, Assyriam, Arabiam, Aegyptum, eos qui mare accolunt,

Spardam (i. e. Sardes), Joniam, Mediam, Armeniam, Cappadociam, Parthiam, Drangianam, Ariam, Choras-
miam, Bactriam, Sogdianam, Gandariam, Sacas, Satta-
gydas, Arachosiam, Macas, viginti tres gentes.

Consentit haec inscriptio cum Aeschylo, cum incipiat a Persia Susisque, deinde sicut hic in Aegyptum se convertat, post eodem modo per mare transeat in Asiam citeriorem itaque medium in regnum revertatur; una in re tamen discrepat a poeta, cum Babyloniam initio afferat, quam ille postremo partis eius loco commemorat. Quae de re infra dicetur. Non aliter iam orientalis regni pars exponitur neque vero tam breviter quam apud illum, sed eadem qua priora nominum ubertate. Regnum totum in duas partes divisum videmus, occidentalem et orientalem. Illam iterum partiri natura cogit ipsa mari interfluente, omnibusque in inscriptionibus haec divisio extat. Sed eorum, a quibus illae tabulae compositae sunt, interfuisse ni fallor videtur quam maxime pariter et aequae singulas regionum partes inter se disponere. In orientali enim parte communis inscriptionum divisio servata videtur iterumque regionum naturam in causa fuisse puto finemque terrarum illarum fuisse Paropamisum montem, qui dirimit Indos a septentrionali Asiae parte.

Ad alteram inscriptionem Persepoli repertam transimus quae provincias enarrat hoc modo (l. c. p. 47 sq.): Susianam, Mediam, Babylonem, Arabiam, Assyriam, Aegyptum, Armeniam, Cappadociam, Sardes, Graecos continentem et insulas incolentes, hasque terras orientis¹⁵⁾: Sagartiam, Parthiam, Drangianam, Ariam, Bactriam, Sogdianam, Chorasmiam, Sattagydas, Arachosiam, Sacas, Macas.

Cum priore haec inscriptio consentit in plurimis, primam partem a Susis ad Aegyptum pertinentem exhibet eandem fere.¹⁶⁾ Secunda vero parte difficiliter est dignoscere quid sibi voluerit inscriptionis auctor. Nam

in Persepolitana post Aegyptum in ipsam Persiam reditur inde directa via per Armeniam et Cappadociam ad Graecos continentales et insulanos. In Behistana (B) ordo turbatus est. Insulae maris mediterranei priori parti subiungendae videntur, Media partis secundae debebat initium esse. Ordinem huius partis depravatum, non genuinum et consulto esse ita comparatum inde quoque perspicitur, quod Jonia, sicut in omnibus inscriptionibus, post Sardes affertur (p. 5, 47, 51). Quare nihil mihi sumpserim, si Sardes et Joniam post Cappadociam, quae duodecimum ordinis locum tenet, ponendas fuisse, sed errore quodam inter insulas illas et Mediam intercalatam esse puto. Qua ratione P et B plane fere concinunt. — In orientali parte inscriptiones non ita consentiunt inter se, quae res explicari potest, cum eas regiones Paropamiso non tam certo discerni cogitamus, quam illas mari.¹⁷⁾ Tamen hic quoque multa congruunt terraeque proferuntur eadem fere serie. Non aliter de quarta parte iudicandum est, sed hic ordines magis discrepant, terrae sunt eadem.

Accedit tertius titulus repertus ad Persepolin qui locus appellatur Naqs-i-Rustam (= NRa: Spieg.), qui postremis annis Darei, sed ante pugnam Marathoniam videtur insculptus esse (l. c. p. 102). Regiones hoc modo profert (p. 51): Mediam, Susianam, Parthiam, Ariam, Bactriam, Sogdianam, Chorasmiam, Drangianam, Arachosiam, Sattagydas, Gandariam, Indiam, Sacas, Babylonem, Assyriam, Arabiam, Aegyptum, Armeniam, Cappadociam, Sardes, Jones, Scythas transmarinos, Scudras (?), Jones „qui coronas gerunt“ sequuntur dubia nomina quattuor: Putiya, Kushiya, Maciya Karka (l. c.). Coniecturas variorum Spiegelius collegit. Hic multo recentior titulus magnam partem terrarum quam illi non habent affert. Eodem temporis intervallo discrepantia maior explicari potest, quae de universo ordine exstat. Nam in

hoc ab ortu solis ad occasum pergitur. Ceterum in singulis partibus ipsis mirum in modum B et P cum NRa congruunt. A Medis et Susianis ordiuntur. (in B ut videtur Media secundae parti praeposita est). Tum NRa regiones trans Paropamisum et cis sitas easdem fere quas illi praebet. Ad occidentem conversus Babylonem primum nominat, tunc omnia fere quo supra vidimus ordine componit, in Asia citeriore tamen et in Europa plures populos affert, quam superiora monumenta. Omnes igitur Susianam primo vel secundo loco nominant, sicut Aeschylus. Apponitur Media quam B solus postea profert. Aeschylus quoque Agbatana secundo loco ponit. P solus Sagartios habet, tum omnes Parthos.

In B et P sequitur Drangiana, quam NRa collocat, ubi transit ad occidentalem partem. Paropamisus illis locis minus alte et abrupte se tollit, ut fines terrarum complures in modos ibi disponere liceret. Porro concinunt omnes in Bactria Sogdiana, Chorasmia, B solus Chorasmiam illis duabus anteponit.¹⁸⁾ Si iudicare licet ex his, facere non poterimus, quin communem fontem tribus his tabulis fuisse statuamus.

In NRa igitur Drangiana insequenti parti transitionis causa praeponitur, qua regiones cis Paropamisum sitae continentur. Deinde de terris quas afferunt omnes fere concinunt, de ordine non plane concinunt.¹⁹⁾

Tunc ad occidentem transitur, ubi tres tabulae unam fere speciem praebent. Quarta quoque de parte, qua gentes Asiae citerioris afferuntur singularis omnium consensus extat, si concedimus, ordinem quem B habet supra dicto ordine corrigendum esse.²⁰⁾

In omnibus regnum ita divisum videtur, ut in occidentalem et orientalem partem dirimatur. Harum utraque dividitur iterum sive mari sive monte. Tituli antiquiores duo prius occidentalem partem describunt, novissimus

orientalem. In reliquis permire consentiunt. Aut fallor egregie aut omnes hae inscriptiones uno de fonte derivatae sunt. Qui qualis fuerit si volumus indagare, primum considerare necesse est, Dareum, quo auctore conscripta sint illa, tamen ipsum ea perscribere dignaturum non fuisse. Quare aulicis quibusdam tribuenda videntur de quibus certiora investigare difficillimum est. Summa eos apud regem auctoritate floruisse, quibus tale munus mandaretur, in aperto est. Tabula provinciarum, ex qua illae inscriptiones sumebantur, permagni momenti videtur fuisse, cum ex ea describi titulos consentaneum et necessarium esset. Provinciae autem ea maxime ratione ordinatae in ea erant, ut viae significarentur, quibus e media regni sede facillime per marium et montium obstacula ad extremos usque fines omnium partium perveniri posset. Constat autem reges Persarum et antea Medorum per totum regnum exploratores, qui regem de omnibus quae ubique accidissent continuo certiores facerent, praeterea legatos, qui vectigalia conferrent, mittere solitos esse.²¹⁾ Dareum hoc maiore studio arripuisse nec immerito cauponem a Persis appellatum esse ex his quoque cognosci potest. Nisi chartas geographicas ante tabulam Anaximandri barbaris iam fuisse supponemus, (qua de re nihil ex silentio monumentorum colligi potest) computos quosdam regionum existere, quibus illa terrarum et legationum administratio moderanda esset, necesse erat. Eiusmodi fons titulorum eorum fuerit. Quodsi discrepantiae inter singulas quaedam inveniuntur, sciendum est non omnes provincias in illis titulis enumerari sed maximas eligi, regni statum autem variis temporibus per expugnationes et bella mutatum, denique fieri potuisse, ut tabularum auctores consulto quaedam suo Marte aliter componerent atque in fonte suo legebant. Tales autem tabulas non modo Susis fuisse, sed etiam apud singulos satrapas quis neget? Per hos autem nescio quibus ambagibus etiam

ad cognitionem Graecorum Asiam incolentium ea penetrasse verisimillimum est.

Iam tandem redimus ad Aeschylum ipsum. Easdem apud eum quattuor partes videmus. Ipse quoque regnum non ad librae, sed ad perpendiculi rationem partitur priusque sicut B et P occidentalem partem profert. Orientalem autem paucis verbis expedit, quasi barbaram nominum molem horrens. Una re discrepat, quod Babylonem posteriore loco citat, qua de re infra agetur. Aliquis rationis inter illas inscriptiones et hanc Aeschyli parodon intercedere contenderim. Quae qualis fuerit, ex eis, quae priore parte huius opusculi demonstrabam divinari potest. Divinantibus autem ecce succurrit Herodoti hic locus: *Ἐκαταῖος ὁ λογοποιὸς πρῶτα μὲν οὐκ ἔα πόλεμον βασιλεῖ τῶν Περσῶν ἀναιρέσθαι καταλέγων τάτε ἔθνεα πάντα τῶν ἤρχε Δαρείος καὶ τὴν δύναμιν αὐτοῦ* (V 36). Ex quo loco discimus Hecataeum ante seditionem Ionicam Persiam permigrasse (simodo certi quid ex hac traditione lucrari possumus, cum ignoremus quoad rerum veritas Milesiorum fama fucata sit), deinde tabulam regni Persici populorum eum possedisse, postremo copiarum regis magnitudinem compertam ei fuisse. Utut haec sunt, Herodotum certe vix illa tradidisse credo sive relata ab Ionibus sive a se ficta, nisi talem enumerationem populorum in Hecataei scriptis extare vidisset. Nam Graecorum haec erat consuetudo, quae iam Herodoti temporibus observari potest, ut illustrium virorum vitas cum eorundem scriptis quam artissime conecterent. Nota sunt quae de Solone, Archilocho, Stesichoro, Phrynicho multisque aliis narrantur. Supra vidimus Aeschylum in summo partitionis ordine cum B et P titulis concinere, a NRA dissentire. Hic autem ante annum quadringentesimum nonagesimum ultima Darei aetate scriptus est. Hecataeus ante rebellionem Ionicam Asiam visit; quare siquas tabulas Persicas vel earum apographa inspexit, non, NRA, sed priores in-

spexit, quas cum B et P de ordine consensisse veri simillimum est. Nöldekus quoque talia significat, etsi ab hac sententia abhorret.²²⁾ Hecataeus autem utrum Persarum monumentis an Graecorum de eis traditionibus usus sit, nihil ad rem pertinet. Ex reliquiis paucis lexicographorum nunc quoque intellegere possumus in circuitu terrae de his rebus ab Hecataeo verba facta esse.

Iam vero Herodotus quoque eiusmodi indices habet, alterum in tertio libro, quo loco vectigalia singulis provinciis imposita, alterum ubi copias Xerxis recenset. Herodotum tam multa communia habere cum Hecataeo Dielsius (l. c.) docuit ut de Hecataeo agentes illum praeterire non possimus. Initium faciemus a copiarum recensu (VII 61 sqq.) quas non accurate ad terrarum situs perscriptas esse non mirabimur, cum in agmine ordinando situs terrarum nullius momenti sit. Eo pluris facienda sunt quaecunque ex illo ordine in acie Persarum conservata esse videmus: Primum locum tenent Persae Medi Cissii sicut in inscriptionibus et apud Aeschylum. Deinde orientalis partis incolae prius afferuntur (c. 61—70), postea occidentalis (71—79), postremo loco τὰ νησιωτικὰ ἔθνη τὰ ἐκ τῆς ἑσπέρης θαλάσσης ἐπόμενα (c. 80). In hoc Herodotus cum novissima inscriptione NRa consentit, cum in prioribus ab occidente sole initium fiat. Intra singulas partes terrarum ordo non semper servatus est, praeterea multa gentium nomina proferuntur quarum sedes ubi fuerint plane ignoretur, ita ut haec res accuratius anquiri non possit. Quodsi nos ad satrapiarum enumerationem convertimus, primo quidem aspectu de ordine terrarum sano desperabimus. Primum Asiae citerioris provinciae, Syria, Aegyptus, Libya, Cyrene deinceps enumerantur (III 90 sq.), tum Indicae quaedam nationes succedunt (91), post demum Susa sequuntur, nec quicquam in hoc ordine rationis investigari potest. Tamen accuratius inspicientes filum Ariadneum videbimus. Primae satrapiæ ab ora

occidentali Asiae eodem ordine relatae sunt quo (V 49) Aristagoras apud Cleomenem Lacedaemonium secundum tabulam Hecataei regiones percurrit, et Herodotus ipse paullo post (V 52) viam regiam qua Epheso ascendatur in Susianam exponit. Hoc enim ordine afferuntur (c. 49—52): Ionia, Lydia, Phrygia, Cappadocia, Cilicia, Armenia, Mantiene, Cissia, Susa. In satrapiarum recensu multo plures populi afferuntur, sed illis locis scriptoris nihil intererat nisi viae directionem qua penetrandum esset usque in Persiam breviter significare. Iam vero Kiepertus²³⁾ in illa itineris descriptione nullo loco urbes, sed solum flumina et terras nominari adnotat. Herodoti autem verba exhibet quibus ille tabulam illam terrae totius circuitum et mare totum et flumina omnia continuisse dicit (V 49). Quare Herodotum, cum illam viam significaret Hecataei tabulam secutum esse numerosque spatiorum a Persis compertas assignasse existimat, ut puto, sagacissime. Is autem terrarum ordo plane convenit cum eo, quo prima parte recensis illius copiarum noster utitur. Quare non nimium mihi sumpserim, si huius quoque loci fontem illam Hecataei tabulam fuisse conicio. Quam quo consilio Herodotus adhibuerit satis intelligi non potest nisi cogitamus satrapias in illa tabula ipsa significatas fuisse. Herodotus autem paullo ante hunc locum (V 36). Hecataeum in consilio Ionum de seditione deliberantium *τάτα ἔθνεα πάντα τῶν ἤγε Λαγείος καὶ τὴν δύναμιν αὐτοῦ* enumerasse narrat,²⁴⁾ quod ut scriberet illa tabulae ratione commotum eum esse puto. Veri simile vero est Hecataeum illam satrapiarum partitionem tabulae commissam in libro quoque de circuitu Asiae scripto commemorasse. Nec minus veri simile videtur Herodotum in his Hecataei descriptione usum esse, cum Graecum certe fontem ei fuisse perspicuum sit. Regiones enim ita recenset, ut ab occidentali parte procedat per Asiam ad orientalem, id quod recedit a Persarum more.²⁵⁾ Quae si rata sunt,

tertiū quoque libri locus ille deberetur Hecataeo maiusque nostrae opinioni accederet testimonium. Neque est cur Hecataeum in his non adhiberet cuius traditio tot aliis locis ei obsoleta non videbatur. Quae cum ita sint, non solum de fontibus Herodoti, sed etiam de operis Hecataei consilio discimus aliquid et in fragmentis eius ordinandis (quam rem Muelleri opera nondum absolvit,) nescio an illorum ratio habenda sit. Efficitur autem his Aeschyli catalogum eodem a fonte pendere a quo Herodoti recensus haeret; ex utroque igitur de specie circuitus illius perditū supplenda aliquid cognoscere nos posse videtur.

Usque in Aegyptum Herodotus Hecataeum sequitur, tunc alii duci se committit. Indicas gentes quasdam affert. Tum Susa, Cissia, Babylonia, Media sequuntur. Videmus abhinc eum et cum inscriptionibus et cum Aeschylo optime consentire. Nonne iure igitur suspicamur inde ab hoc loco eum fontem quendam Persicum exprimere, cui cum inscriptionibus illis Darei aliquid propinquitatis sit? Enumerantur deinceps Asiatici populi non ordine iusto; sed partes nonnullae eius dinumerationis ita concinunt cum singulis partibus catalogi copiarum, ut priorem quendam catalogum exstitisse cogitandum sit cuius ea propria fuerint, quae duae illae communia habuerant et ex qua illae quomodocunque sint depravatae. Neque enim aliter ille partium consensus explicari fere potest. In utraque enim extant Moschi Tibareni Macrones Mossynœci Mares hoc ordine ad terrarum situm non expresso (v. Stein, ad III 94, 5). De Parthis Chorasmiis Sogdis in utraque ita relatis idem dicendum est, sed ordini geographico non repugnant, etsi non plane eodem modo in titulis afferuntur.²⁶⁾ Multa praeterea in minoribus partibus consentiunt, quas omnes longum est afferre. Unum addatur: III 93 legimus: ἀπὸ δὲ - - - τῶν ἐν τῆσι νήσοισι οἰκούντων τῶν ἐν τῇ ἐρυθρῇ θαλάσῃ ἐν τῆσι τοῖς ἀνασπαστοῖς καλεομένων κατοικίξει βασιλεύς VII 80: τὰ δὲ νησιωτικὰ

ἔθνεα τὰ ἐκ τῆς ἐρυθρῆς θαλάσσης ἐπόμενα, γήσων δὲ ἐν τῆσι τοῖς ἀνασπάστοις καλεομένους κατοικίξει βασιλεῖς. Qui verborum concentus satis comprobatur eodem ex fonte tabulam utramque haustam esse nec dubium videri potest, quin illa verba debeantur ipsi Herodoti auctori. Quem Graecum fuisse hominem nemo nescit. Multo maiorem eum Herodoto fuisse aetate ex eo colligi potest, quod ἀνασπάστους καλεομένους dicit Herodotus quibus aliis locis ἀνασπάστους appellat, V 204, V 12, 106, VI 9, 20, 32, 119, καλεομένους semper omittit. Ipsi vox illa iam usitata videbatur, illi insolentior, itaque quasi excusanda. Hecataeum hunc auctorem esse suspicarer, praesertim cum ἀνα- praepositio Ionem virum illa scripsisse significet (cf. Stein ad Her. III 93) et illis maxime locis illa vox afferatur quibus potissimum Hecataei vestigia vidimus expressa quibusque ille ipse ab Herodoto affertur.²⁷⁾ Sed prior pars enumerationis Herodoteae, qua Asiae citerioris provinciae recensentur, nimis correcto et accurato regionum ordine abhorret a solutiore insequentis partis laxitate, ut nequaquam uno de fonte possit utraque oriunda esse. Illam autem Hecataeo assignandam credimus. Uno de fonte certe Herodotus qualicumque satrapiarum catalogi posteriorem partem et totum copiarum recensum hausit. Difficillimum autem est unde conturbatio locorum, ordinis illa utique ruina sit coorta discernere, cum dubium sit, utrum Herodotus ea disturbarit an is ex quo Herodotus sua desumpserit. Totam libri tertii enumerationem Herodotum non ex uno fonte haurire potuisse sed ex duobus contaminasse vidimus. Qua de causa Hecataeum adhibuerit non liquet, sed homini in Jonia maxime noto et plurimam vitae partem ibi versato plus confisus esse quam alii cuiquam putandus est. Praeterea eo commodo utebatur, quod tabulam Hecataei cum scriptis eius conferre poterat. Nec minus in propatulo videtur esse in illo priore fonte de Asia citeriore minus accurate actum esse

WS!

quam ab Hecataeo, qui, si Herodotum eum expressisse concedimus, diligentissime ipsas has terras descripsit. Si cogitamus a Persica quadam traditione illum fontem pendere, facillime explicatur, cur Asia citerior in eo parum diligenter, Herodoto certe quidem, descripta esse videbatur. Quid scriptoris Graeci interesset illas terras barbaro stilo perscriptas mutuari, praesertim cum optima fides Hecataei praesto esset. Quare cuiusmodi fuerit ille fons, in Asia exponenda Hecataeo deterior fuerit sive Graeca sive barbara de stirpe prodierit. Contaminatione autem illa duarum traditionum effici poterat, ut ceterarum quoque partium commutatio quaedam esset necessaria. Sed quantum aliae rationes, quantum error fortasse attribuerit ad illam conturbationem nostram scientiam fugit. Iam vero comparatis illis Herodoti locis, conabimur, quatenus natura communis eorum fontis, qualis in hoc ordo regionum observatus sit indagare, ut hinc quoque colligamus, non Hecataeo sed posteriori cuidam hoc tribuendum esse:

Her. III 91 sqq.	VII 61 sqq.
Susa, Cissia	Persae
Babylon Assyria	
Agbatana et cetera	Medi
Media	Cissii
Paricani aliaeque gentes ignotae. Caspii Pausicae Pantimathi Daritae, (quos Steinius ad III 92, 6, Hyrcaniae originis esse putat.	Hyrcanii
	Assyrii
Bactriane	Bactri.

Assyria in utraque tabula falso disposita videtur, in priore ante Mediam, in hac post Hyrcaniam; ante Hyrcaniam eam collocandam fuisse in communi fonte colligi

potest ex inscriptionibus. Abhinc magis inter se divergunt nec accurate singula conferri possunt. In satrapiis enumerandis ita pergit Herodotus, ut Asiae ulterioris regiones porro percurrat usque ad satrapiam sextam decimam. Tunc subito transit ad septentrionales regni partes in sequentibus duobus praefecturis; hos enim affert: Matienos Saspies Alarodios Moschos Tibarenos Macrones Mossynoecos Mares. Hos autem in septimo libro protulerat inter populos Asiae citerioris. Tunc postremo loco sequuntur Indi. Medii autem inter Asiae descriptionem ex Hecataeo, ni fallor, expressam et posteriorem partem, quae incipiat ab Indis, interpositi sunt: Sattagydae Gandarii Dadicae, Aparytae. Sattagydae in Persicis titulis semper una cum Arachosiis enumerantur (Stein ad III 91, 17). In titulo antiquissimo B India non affertur, sed intra regiones illas enumerantur Maka, quae regio non in NRa. In P videmus hunc ordinem: Sattagydae Arachosii Indi Gandarii; in NRa: Arachosii Sattagydae Gandarii Indi. Praeterea in B ante gentes quas attulimus has videmus enarratas: Parthos Sarangos Arios Chorasmios Bactros Sogdos; in P: Parthos Sarangos Arios Bactros Sogdos Chorasmios; in NRa: Parthos Arios Bactros Sogdos Chorasmios Sarangos ita ut veri simillimum videatur, apud Herodotum quoque Sattagydas ceterasque gentes illas post satrapiam vel XVI vel XVIII locum habuisse, hos autem statim Indos secutos esse. Haec loci mutatio qua de causa sit orta perspici non potest, graviorem eam fuisse non puto, fortasse errori cuidam Herodoti tribuendam. Adhuc ille de orientali parte egerat, restabat occidentalis. Hanc autem ex alio fonte supplevit; sed non omnia legebat in hoc fonte, quae praebebat alter, itaque quae supererant, ut extabant, in fine recensu apposit, satis indigne quidem, illis minoribus gentibus Ponticis. Quod ut corrigeret, Indos illis antepositos extremo loco collocaverit, quo digniorem et

graviorem enumerationis suae finem praeberet, cuius non solum interesset, omnes populos regni Persici perlustrare sed magnitudinem et vim hostis devicti civibus suis proferre sicut in septimo libro Homerici navium catalogi memor, eodem usus fonte, Persarum copias exposuit. Hoc modo illae discrepantiae dubito an explicari possint. Ponticas autem illas gentes non tam accurate in Hecataeo digestas legit, quippe de quibus hic ipse certiora non cognovit. Aeschylus quoque, quem Hecataeum sequi suspicati sumus, de ulteriore Asia brevissimus est, quoniam videlicet in illis partibus fontis ubertas deficiebat. In Herodoti fonte partem occidentalem non ante, sed post orientalem allatam esse demonstrari videtur ea re quod apud Herodotum in fine illae gentes locum habent; si in fonte de eis prius actum esset, commodissime Herodotus eas suae Asiae descriptioni adiungere poterat neque loco eas movere necesse erat. Hoc autem ultimo loco cur poneret non erat, nisi cogitamus iam in fonte ipso eas ibi positas fuisse. Suo iure Herodotum Asiae ceterioris recensum ex alio fonte usurpasse videmus ex libro septimo, ubi illae ipsae Asiae gentes paucis exceptis plane perversa serie afferuntur, scilicet ex priore communique fonte.

Ex libro septimo colligere possumus, quomodo de tota parte occidentali Herodoto agendum fuerit, si uno fonte contentus fuisset. In copiarum recensione prius orientales regiones percurrit, tum occidentales, sicut Persica inscriptio, quacum omnino multis in rebus consentit, ita ut illum Herodoti fontem tertii et septimi libri communem ipsis a documentis Persicis pendere credam. N Ra autem praebet ordinem Herodoteum in ordine partium magnarum; hic igitur recentissimus titulus maxime pertinet ad Herodotum. Supra diximus ex hac quoque causa, intelligi posse, has partes ex alio fonte haustas esse atque ex Hecataeo, praeterea Aeschylum ex Hecataeo in sua

enumeratione pendere iam exposuimus. Is autem a solis occasu transit ad ortum, ut in antiquioribus inscriptionibus est B et P, quas Hecataeum expressisse coniecimus ea de causa. Herodotum igitur cum ordinem in NRA servatum sequatur, Hecataeum non inspexisse manifestum est, praeter eas scilicet partes, in quibus eius vestigia deprehendisse nobis videbatur.

Ad finem fere quaestionis progressi summam rerum breviter complectemur, non quo persuasum habeamus omnia sicut statuere conati sumus se re vera habere. Id certe mihi tenendum videtur esse, ea quae legebantur in tabulis magistratum Persarum ad Graecos penetrasse et a scriptoribus Graecis litteris mandata esse. Singula quae de eis rebus investigare studuimus sive rerum veritatem expriment, sive recedunt a veris, demonstrabunt certe coniecturam illam non vanam et irritam esse, sed illam traditionis viam aliqua ratione confici potuisse. Haec autem coniciendo posuimus: Hecataeus tabulas Persicas quacunque ratione et interpretatione cognovit et scriptis suis inseruit. Eae tabulae respondebant inscriptionibus antiquioribus B et P. Hecataeum Aeschylus in illo Persarum choro conscribendo consuluit. Recentiores tabulas, quarum ad exemplum recentior inscriptio NRA expressa erat, sive Demaratus (si Trautweinium audimus) sive alius auctor Graecus inspexit. Ex hoc (qua via, quocunque fortasse circuitu, prorsus nescimus) Herodotus sua derivavit, ita quidem, ut in tertio libro scriptori populari plus confideret et Hecataeum adhiberet in parte quadam terrarum perscribenda. Quae si ita se habent, illo loco eodem fonte usus est, quo Aeschylus in illo carmine, ita ut Hecataei Asiam ex utroque restituere et supplere liceat. Si poeta non ipse Hecataeum inspexit, sed Phrynichum testem sequitur, huic debentur illa. Phrynichum enim non solum argumentum nec prologi sola verba Aeschylo praebuisse, sed etiam actionum et oratio-

num aliquatenus exemplar ex Glauci Rhagini iudicio, Persas *ἐκ τῶν Φοινισσῶν Φρυνίχου παραπεποιῆσθαι*, collegerim.²⁸⁾ (Aesch. Pers. ἵποθ). Si diligentius quasnam maxime fabulae partes spectarit Italus ille litteratus homo, de nullis magis cogitabimus, quam de quibus poeta miles quamdiu suis oculis belli casus intuebatur, minima comperire posset, velut de omni Persarum antiquitate, de prioribus regibus, de moribus et institutis, de terrarum situ ac nominibus. Nam descriptiones pugnarum et quae pertinent ad recentioris memoriae laudem ipsius indoli necesse est contribuamus. Ceterae vero partes quas significavimus, eius modi sunt, quae Phrynichi stilo non repugnent. Qua re videndum est, unde imagini fabulae perditae ex eis, quae de poeta traduntur minutissima, lineamenta quaedam afferamus. Poeta bello Persico videtur summo ardore patriae inflammatus esse, qui primus tragoediam a remotiore priscarum fabularum agro ad suorum temporum fines revocavit. Themistocle familiariter utebatur (Plut. Them. 5), cum ille res suas ab illo ornari perlibenter pateretur. Mileti dedit excidium; cuius facti si cogitamus eum non minus accurate singulas partes enarravisse, quam in Phoenissis bellum Persicum²⁹⁾, comparata Persis Aeschylea, habemus cur eum Milesiorum atque Jonum traditiones non primis labris gustasse sed e largiore quodam fonte hausisse coniciamus. Quae Herodotus de expugnatione Mileti affert (VI 20 sq.) tragicum *Mesint* quendam spiritum sonant nec absurde conici puto lectae fa- *cony.!* bulae, cuius mentionem faciat (VI 21) memoriam quandam scriptoris animo obversatam esse. Certe eodem quo Phrynichus eum fonte usum esse non temere mihi sum- pserim. Nullum autem illorum hominum civem inter suos plus valuisse quam Hecataeum Hegesandri filium satis ex eis discimus quae legimus apud Herodotum, qui de Jonum seditione agens illius sententias, etsi nihil effecerant, diligenter exponit (III 36 et 125).³⁰⁾ Quare Phry-

nichum quae de Hecataeo cognosci poterant comperta habuisse verisimile est. Scriptis quoque eius quin operam dederit haud quisquam dubitabit, qui concesserit in eis multa pertinuisse ad ipsum Phrynichi argumentum praeter expugnationem multa vel historica vel geographica complexum, ut ex Aeschyli Persis conici potest. Athenis Hecataeum fuisse ut per se veri simillimum ita confirmatur eis quae de Pelasgis ab Atheniensibus detrasis illo auctore usus commemorat (VI 137).³¹⁾ Hecataeum autem tragicum quoque illum convenisse et quamvis ante res Jonicas animum eius historiae quodam ardore cepisse et ad res aetatis recentioris scenae committendas ansam ei dedisse si nihil est documenti quo comprobetur, quod refragetur quoad video nihil est.

Magis quam in *Μιλήτου ἀλώσει* libris Hecataei adhibendis locus erat in Phoenissis, qua fabula totius regni Persarum exitium describebatur. Neque enim frustra Hecataeus *τάτε θῆνα πάντα τῶν ἤρχε Δαρείος καὶ τὴν δῖνα μιν αὐτοῦ* enumeraverat (Her. V 36), sed affluenter illae apud Phrynichum Phoenissae de talibus rebus vociferatae erunt. In Aeschyli Persis permulta leguntur, quae in Phrynichi quoque fabula, verbis aliis, exposita fuisse pro certo habeamus, velut gentium illum indicem. Ob id ipsum tam difficile est unde notitiam rerum Medicarum Aeschylus derivarit indagare, quod semper ambigi potest utrum ipse quibuscunque de fontibus hauserit an a Phrynicho sit mutuatus; accedit quod quo tempore Milesiorum primarius ille vir sua conscripserit ignoratur.

Quae qualicunque modo diiudicanda sunt, ad summam rerum non pertinent neque quicquam dubitationis rationibus illis, quas supra aperire tentavimus, neque luminis afferre possunt, quibus nos quidem de Phrynicheae artis propria natura, crassis adhuc versamur in tenebris (cf. adn. 28).

Pauca liceat adiungere. Aeschylus in ordine suo

Babylonem in fine prioris partis affert, priusquam ad solis ortum transgreditur; id quod ea re explicari puto, quod tabulas Persicas, ex quibus tituli exscripti videntur, vias significasse verisimile est, quibus a capite regni Susis ad omnes partes nuntii vel legati mittebantur. Qua enim alia de causa provinciae singulae radiorum forma a mediis Susis enumerarentur? Has autem vias non a Persarum regibus primum aedificatas esse, sed ab Assyriis, antequam ab illis subacti erant, compluribus indiciis Kiepertus satis comprobavit (l. c.). Caput igitur regni Babylon erat, non Susa. Nonnumquam tabulas inter se discrepare, atque praesertim in initiis singularum partium, vidimus. Inscriptionum quidem nobis notarum nulla Babylonem eo loco ponit; tamen verisimillimum est ac paene certum alias quoque extitisse et ab illis quidem quibusdam rebus recessisse.

In his Babylonem tali modo allatam fuisse non est quin cogitetur. Eiusmodi autem inscriptionem antiquiorem illis fuisse apparet, cum veteris imperii Assyrii vestigia in ea deprehendantur. Talem Hecataeo occurrisset licet suspicemur et ex eo poetam mutuatum esse. Quod B et P ab occasu solis incipiunt, NRa ordinem invertit, eadem de causa factum videtur. Assyrium regnum magis ad solis occasum spectabat, Persarum fines magis magisque ad orientem solem proferebantur, Cyri maxime expugnationibus, etsi nobis traditione scriptorum Graecorum notiora sunt, quae in occidentalibus terris gesserunt. Ab Assyriis autem Persas ad imitandum tam propensos tabularum quoque illarum morem et cum iis ordinem etiam illum usurpasse satis veri simile est. Ultima denique Darei aetate neque vero post seditionem Jonicam senserunt errorem.

Accuratius quibusnam rationibus rerum Persicarum notitia pernenerit ad Graecos investigari non posse iam diximus. Tamen huic quoque quaestioni viri docti ope-

ram dederunt, cum vel scriptorum significationes quasdam in suum usum verterent vel coniciendo res veras enucleare conarentur. Alii de commentariis Demarati regis cogitaverunt, alii de tabula illa, quam Herodotus Byzantii vidit (IV 87) vel de Mandroclis tabula picta. Quae neque refelli possunt neque comprobanda sunt certis indiciis. Quae Herodotus IV 87 narrat, ad nostram quaestionem pertinent, quod ibi explicatur, quomodo Graeci quoque traditionum Persicarum participes fieri potuerint. Duas enim tabulas Darius exstruxit *ένταμών ἐς μὲν τὴν Ἀσσύρια ἐς δὲ τὴν Ἑλληνικὰ γράμματα*. Tales tabulas Xerxem quoque posuisse ex eis Herodotum exscripsisse facile credi potest. Vestimentorum descriptiones non necesse est ex commentariis quibusdam sumptas esse, cum complures tabulae pictae qualis illa Mandroclea extiterint.³²⁾ Praeterea obliviscendum non est, iam Hecataeum eo modo vestimenta barbarorum descripsisse (cf. adnot. 26), cui nulli Demaratorum commentarii praesto fuerint.

Plane mihi perverse cogitare videntur qui Herodoto cum Choerilo Samio quicquam commune esse credant. Vix operae pretium videtur demonstrare fragmenta poetae ab illo longe abhorrere,³³⁾ cum omnino incredibile sit, Herodotum, cuius maxime interesset ante dicta non repetere, hanc copiarum enumerationem accurate ex carmine epico exscripsisse. Nec omnino credi potest tam ieiunum illud carmen fuisse, ut tanti nominum acervi ex eo excerpti possent, etsi omnia nomina versui hexametro quadrarent. Herodotus autem secundi quodam libri loco (c. 112) de Homericis ipsis carminibus verba faciens dicit *εἰ γὰρ τι τοῖσι ἐποποιῶσι χρεόμενον λέγειν*. Quare Niebuhrii de Choerilo coniecturam puto plane abiiciendam esse.

Adnotaciones.

¹⁾ Pers. 22. 300. 480. Suppl. 239. Prom. 200. 639. 703. 784. 821. Ag. 268. Eum. 1. fr. 29. 184 sqq. 189 sq. Hesiodi fr. 162 Kink. in Phineo expressum esse putandum est.

²⁾ Ostium enim Nili vel delta totum poetae in animo fuisse puto, etsi ipse non dicit. Ante Herodotum enim delta solum Aegyptus esse credebatur (Her. II 15), et Aeschylum quoque eius sententiae participem fuisse per se veri simile est et infra probare conabor. Tam saepe autem, in Supplicibus maxime, sed et aliis locis Aegypti nomen aliquo modo circumscribit, cum Nilum appellet, sive de ipsa terra sive de incolis loquitur, ut eam partem maxime fluminis in animo habuisse videatur, quae per Aegyptum, i. e. per deltae regionem fluat. Non ignoro eum scivisse Nili fontes in Aethiopia fere sitos esse. Tamen de inferiore maxime fluvio videtur cogitasse. Huc etiam pertinet Hecataei locus, quo dicit *Νεῖλος πόλις Αἰγύπτου* i. e. deltae. (fr. 277).

³⁾ Herodot und Hekataeos, Hermae vol. XXII, p. 422 adn.

⁴⁾ cf. Wiedemannum a. l.

⁵⁾ fr. 110 sive quisquis eius Aegyptiaca conscripsit. cf. Gutschmied Philol. X. 538 sqq.

⁶⁾ sive *σεμνολομπείν*, ut Lobeckius, sive *κασεμνοκόμπει*, ut Dindorfius. Prior versus ad illius vini comparationem,

posterior ad vim pertinet (de qua schol. Aesch. Suppl. 919). Nauckio locus obscurior videbatur, immerito, ut puto. Illo *καὶ τῶνδε* Aeschyli significatur, antea de eis dictum esse, ex quibus vinum illud compararetur neque errabimus, si Hecataei verba citata (fr. 123) supplebimus. Quae Hecataeus ipse de comparatione et de vi hordeacei tradiderit, eidem Aeschyli ex Lycurgo versus ni fallor docent, ita ut in fragmentorum collectionibus alter alteri locus ut testimonium sit adiungendus. Praeterea nescio an totum Herodoti locum II 77 Hecataei fragmento eidem addendum esse recte iudicetur. Illo enim loco singulari brevitate de omnibus rebus agitur ita ut suspicemur, Herodotum non primum esse, qui tradat ea (cf. VI. 55, III. 103!).

7) Cf. Steinium ad Her. II 114. Miror qua de causa nemo adhuc de Theonoë, quae in Euripidis Helena Protei regis soror est, cogitarit cuius solius auxilio Menelaus cum uxore fugere potest. Sicut enim Thonis apud Herodotum regi studiose narrat Alexandrum adesse, ita apud Euripidem Theonoë retineri vix potest, quin omnia regi prodat, quae post Menelai adventum facta sint (821 sqq. Nauck). Apud Homerum autem Thonis uxor Helenae herbas salubres tradit (δ 228) Polydamna, quae similitudinem quandum cum illa fatidica anu Euripidis praeferre mihi videtur. Haec igitur ut Homeri *Θῶνος παράκοιτις* divina sapientia praedita, ut Herodoti Thonis hospitibus infesta, initio quidem, est et medium versionum locum inter utrumque tenet. Hecataeum quoque de Helena in Aegypto versata dixisse primum Dielsius (l. c.) docuit. Quam traditionem is secutus sit definiri vix potest nec quantum pertinuerit eius narratio ad Aeschyli Proteum liquet.

8) Herodotus II 92, de byblo agit ita quidem ut obiter plane eius usum explicet (Stein. a. l.), unde suspicari licet, consulto tantam breviter placuisse, quod

copiose de eadem re dictum iam esset (cf. adn. 6). Iam vero Aeschylus quoque bybli mentionem facit in Supplicibus, ubi 727 Danaus filias adhortatur ne timeant Aegyptios: βύβλον δὲ κάρπος οὐ κρατεῖ στάχυν (727); ἐπεὶ παπυροφάγοι οἱ Αἰγύπτιοι adnotat scholiasta. Esculentam papyri naturam igitur poetae cognitam fuisse apparet; cui potius autem hoc debebat quam Hecataeo?

9) Cf. Dielsii Doxogr. p. 226 sq.; Seneca und Lucan, in: Abhandlungen der Berliner Akademie 1885, p. 6 sqq.

10) Buechelerus Supplices post Anaxagorae librum scriptam esse putat (Mus. Rhen. 40, 629), cui adversatur Gilbertus, qui (Mus. Rhen. 28, 481), tragoediam in numero antiquiorum habendam esse monet, quia duo histriones in ea agant scenaeque non sine angustiis quibusdam compositionis dispositae sint. Velut rex Pelasgus v. 506 exit paullo post Danaum (486), tamen multo post hunc (580), ipse redit (878). At omnino non dicit se simul cum Danao rediturum, sed Danaïdibus anxiis nihil respondet nisi ἀλλ' οὐτι δαρὸν χρόνον ἐρημώσει πατήρ (499), — ἐγὼ δὲ τὰντα ποροσυνῶν ἐλεύσομαι (505). In animo autem habet concionem convocare et animos civium ad suam voluntatem et illarum salutem commovere. Apparet regem post Danaum rediturum esse. Cui quae mandata sunt (463—67) tempore multo breviora perfici possunt, quam quae rex conatur consequi. Rex ubi redit plura a se facta commemorat Danaïdum gratia (921 sqq.), quam quae Danaus ab eo perpetrata narrat (585 sqq.), cuius profecto non interesset quicquam ab Aigivis pro filiarum salute impetratum tacere. Regem autem quae (l. c.) de domiciliis illarum novis dicat certo non suo Marte promittere qui vocem populi tanti faciat (v. 466 sqq.) elucet; et ipse civium voluntatem se exprimere dicit (931). Præterea non erat, cur rex scenam prius intraret; quid enim diceret si cum Danao rediisset una? Alterius certe persona superflua

astabat alteriusque narrationem, quam non ignoraret audiebat. Pulcherrina autem scenâ, qua virgines Aegyptiorum navem prospectant et appropinquante praecone trepidant, omittenda erat. Egregie nunc regis adventu Aegyptii audacia repellitur et summus virginum terror sedatur. Itaque et rationis et compositionis dramaticae intererat regem non prius redire, Gilberti vero dubia Buecheleri et Dielsii sententiam non labefactant.

¹¹⁾ Dielsius Herodot und Hekataeos p. 433 Strabonem XVII 800 ex Hecataeo pendere demonstrat.

¹²⁾ Idem de Naupacto dicendum est Suppl. 252 schol. Ephor. fr. 14 M. Strabo IX 853 Eustath. ad B. 276. — Nescio an inter Aeschyli verba *ἔστιν πόλις Κάνωβος* (Prom. 844), et Strabonis *Κάνωβος δ' ἐστὶ πόλις* similitudo cuiusdam momenti existat (XVII 801). Quod si ita est, Hecataei verba ab utroque expressa habemus.

¹³⁾ Salmydessi nomen apud nullum poetam epicum legitur; Sophocles (Antig. 970), trochaïce affert.

¹⁴⁾ Die altpersischen Keilinschriften, von Fr. Spiegel, Leipzig, 2. Ausg. 1881.

¹⁵⁾ His verbis additis p. 49, 1 demonstrari videtur consulto hunc ordinem observatum esse.

¹⁶⁾ Spiegelis siglis utemur: B-Behistanus, P-Persepolitani, NRa-Naqs-i Rostam repertus. P Mediam prima parte profert, B secunda. P videlicet per errorem Arabes et Assyrios mutat.

¹⁷⁾ Persis rei navalis tunc imperitis mari continentes multo magis distineri videbantur quam Graecis inter remorum strepitum quasi adultis (Pers. 93 sqq., 551. 670. 888. 923. Her. VII 44; VIII 68, cf. Sandanis (I 71) et Cyri (IX 122), de Persis dicta. Dubito an reliquiis quibusdam aetatis Assyriae factum sit, ut regiones ab occasu

sitae accuratius digestae videantur quam quae ab ortu solis.

¹⁸⁾ Ordo quem P et NRa exhibent magis ad rerum veritatem accommodatus videtur; itaque posteriores inscriptiones maiore cura et doctrina exaratae sunt.

¹⁹⁾ Initio P et NRa sibi similiores sunt, NRa Arachosios et Sattagydas primo loco, P contrario ordine tertio et quarto loco ponit. Dein Gandarios et Indos varia quidem serie praebent. B vero Gandarios primo loco collocat, Indos prorsus omittit. Tunc P et NRa iterum in Sacis concinunt, quorum duas gentes NRa refert. Hos B secundo loco nominaverat. In fine demum discrepant, nam NRa Maka non habet, quos B et P. Elucet P titulum inter B et NRa medium fere locum tenere, propius autem ad NRa accedere.

²⁰⁾ Omni fere ratione caret qui nunc profertur ordo, sed levissima illa emendatione tollitur omnis offensio. Quidni vel qui tabulam composuit vel qui saxo insculpsit errarit (cf. adn. 16)? In Graecis titulis nunc quoque tales stili lapsus deprehenduntur. Emendatus igitur ordinum hic est concentus:

B.	P.	NRa.
Media	—	—
Armenia	Armenia	Armenia
Cappadocia	Cappadocia	Cappadocia
Sardes	Sardes	Sardes
Ionia	Graeci	Scythae
	{continentales	(etc.)
	{insulani	

²¹⁾ Cf. Xen. Cyrop. VIII 2, 10. Aristoph. Acharn. 94, Her. I 100.

²²⁾ Aufsätze zur persischen Geschichte p. 34 adn. 1.

²³⁾ Die persische Königsstrasse durch Vorderasien,

nach Herodotos. Sitzungsber. der Berliner Akademie d. Wissensch. 1857, p. 125.

24) Toto illo operis Herodotei loco Hecataei auctoritatem praevalere animadvertimus. Cuius cum in reliquis (praeter secundum) libris nulla fiat mentio, eis partibus, quae de rebus Ionicis agant maxime, in libris quinto et sexto frequentius eius vestigia deprehendimus (cf. adn. 27). Nec alienum erat eum de rebus illis quibus tam splendide ipse interfuerat audiri.

Ceterum quo magis illa enumerationum similitudo appareat, nomina terrarum excerpta conscribentur hic:

III. 90 sq.	V. 49.	V. 52.
I. Iones	I. Iones	
Magnetes		
Aeolii		
Cares		
Lycii		
Milyes		
Pamphyli		
II. Mysi		
Lydi		I. Lydia
Lasonii		
Cabalii		
Hygennes		
III. Hellespontii		
Phryges	II. Phryges	II. Phrygia
Thraces		
Paphlagones		
Mariandyni		
Syrii	III. Cappadoces	III. Cappadocia
IV. Cilices	IV. Cilices	IV. Cilices
V. Phoenice		
Palaestina		
Cyprus	V. Cyprus	

III. 90 sq.
VI. Aegyptus
Libya.

V. 49.

V. 52.

VI. Armenia	V. Armenia
VII. Matieni	VI. Matieni
VIII. Cissia	VII. Cissia
Susa	Susa.

Quae similitudo non minoris momenti fit, quod V 49—52 multo pauciora nomina appellantur quam III 90. Illo enim loco nihil intererat nisi itineris directionem breviter significare, plura conferre nihil omnino ad rem pertinebat. Videmus autem nomina V 49—52 ita ex III 90 quasi electa, ut ex unaquaque satrapia singulae terrae scilicet principes afferantur. In plerisque, non in omnibus hanc rationem observatam esse non me fugit, ex tertia satrapia nominantur V 49 et 52 Phrygia et Cappadocia, sed Cappadociae et Ciliciae fines tot mutuis variationibus inter se fluctuabant, ut satrapiarum ordinem incertiore ibi fuisse cogitemus. Quod ex quinta satrapia V 49 sola Cyprus V 52 nihil affertur non alienum at, neque enim in ea via, quam Herodotus descripturus erat, illae provinciae attingendae erant. Quare coniecerim iam ab Hecataeo satrapias Persarum observatas fuisse, sive in Asiae descriptione, sive in tabula terrarum, sive in utroque, nobilissimas autem cuiusque satrapiae gentes nota quadam insignitas vel solas nominatim allatas esse, id quod tabulae magis quadrat quam libro (cf. V 49). Quae si ita se habent, accedebat Herodoto causa, cur in illa satrapiarum parte Hecataeo uteretur auctore.

²⁵⁾ Quae III 90 leguntur ἀπὸ δὲ Ἑλλησποντίων τῶν ἐπὶ δεξιὰ ἐσπλέοντι nisi ab homine Graeco scribi non poterant. Etsi concedendum est hanc verborum conformationem Graecis perusitatam fuisse nihilo minus tamen credibile est Herodotum exprimere Graecum quendam

scriptorem, qui ipse Persico fonte usus sit. VI 33 legimus: τὰ ἐπ' ἀσιστερὰ ἐσπλέοντι τοῦ Ἑλλησπόντου. Videbamus autem illis Herodotei operis partibus Hecataei auctoritatem latissime patere, ita ut illi verba quae diximus tribuenda fortasse sint.

²⁶⁾ Si huius quoque partis fons Hecataei liber esset Herodotus in libro tertio non post sextam satrapiam plane aliam enumerandi rationem instituisset neque omnino tanta partium differentia illo loco observari posset. Quare etiamsi quibusdam in rebus ille cum Herodoto consentit velut fr. 173: Πάρθων πρὸς ἥλιον ἀνίσχοντα Χωράσμοι οἰκοῦσι, eius auctor non fuerit. Maioris momenti videtur, quod vestimenta barbarorum eodem quo apud Herodotum modo describuntur, velut fr. 189: οἱ δὲ ἄνθρωποι (Matieni) ἐσθῆτα φορέουσιν οἴηπτερ Παφλαγόνες, ille VII 72 Λίγνες δὲ inquit καὶ Ματιηνοὶ καὶ Μαριανδυνοὶ τε καὶ Σύριοι τὴν αὐτὴν ἔχοντες Παφλαγοῖσι ἐστρατεύοντο; tamen communem fontem eis fuisse crediderim.

²⁷⁾ ἀνασπ. IV 204; V 12, 106; VI 9. 20. 32. 119. Hecat. (II 143); V 26. 125 sq.; VI 137 sq., (cf. adn. 24).

²⁸⁾ Quaedam eius^s conexus vestigia nunc quoque extant et Glauci iudicium comprobant. Schol. Ar. Vesp. 220 legimus hoc Phrynichi Phoenissarum fragmentum:

Σιδώνιον ἀστὺ λιπόντες
καὶ δροσερὰν Ἄραδον

et:

Καὶ Σίδωνος προλιπόντα ναόν,
quibus ex Persis haec comparari possunt v. 17:

τὸ παλαιὸν Κίσιον ἔργος
προλιπόντες ἔβαν

et 937:

Ἀγβάτανα προλιπών.

Phrynichus quoque fabulam „Aegyptii“ inscriptam composuit sicut Aeschylus, in qua Aegyptum patrem cum filiis

Argos venisse dixit (fr. 1). In Aeschyli Supplicibus pater ipse domi remanet (cf. 895. 873). In hac igitur re discrepant; ceterum in eadem Phrynichus consentit cum Hecataeo (fr. 357) qui fabulam illam non aliter atque ille narraverat. — Verisimile non esset Aeschylum etiam cum Agamemnonem componeret Phrynichi verba in animo habuisse (Ag. 1642: *κόμπασον θαρσῶν ἀλέκτωρ ὥστε θηλείας πέλας*. — Phrynich. ap. Plut. Mor. 962 F: *ἔπειξ' ἀλέκτωρ δοῦλον ὡς κλίνας πτερόν*) nisi eundem Phrynichi versum multis annis post vulgo cognitum fuisse versu Aristophaneo constaret (Vesp. 1490: *πήσσει Φρύνιχος ὡς τις ἀλέκτωρ*. Sed licet in hoc nihil extet conexus inter eos, de illa similitudine dubitari non potest.

²⁹⁾ Licet brevior fuerit Persis Aeschyleis, tamen ubertate aliqua res expositas esse credemus, si computabimus, cladem Persarum quae apud Aeschylum v. 249 nuntiatur, in hac fabula primis versibus teste Glaucō relatam esse.

³⁰⁾ Quae verba Hecataeo tribuit III 36: *ἄλλως μὲν οὐδαμῶς ἔφη λέγων ἐνορᾶν ἐσομένον τοῦτο*, similia sunt, quibus I 118, Bias adhortatur cives suos: *μένουσι δέ σφι ἐν τῇ Ἰωνίῃ οὐκ ἔφη ἐνορᾶν ἐλευθερίην ἔτι ἐσομένην*. Significatur his fortasse fontis quaedam communitas. Coniicio enim, sicut saepius, hic quoque sententias quasdam ab eis, qui auctoritatem earum augere cuperent, claris viris tributa esse. Partes quasdam civium Mileti fuisse rerum novarum studiosas cogitari potest, quibus illa demigrandi consilia placerent, etsi certiora ignoramus. Videmus certe Hecataeum quoque tanta nominis laude floruisse, ut eius auctoritate homines factiosi consilia sua civitati commendari confiderent.

³¹⁾ Hecataeus aliam de Pelasgis narrationem profert atque Athenienses; sed hac re non effici puto eum Athenas venisse. Nam fieri potest ut utramque traditionem noverit, alteram sibi probatam unam retulerit. Nec

omnino videtur testimonio opus esse eum qui tot terras et urbes viderit, clarissimam Graeciae urbem non adiisse. Sed ipsa Herodoti verba quoque significant. Hecataeum enim in narratione attulisse dicit *τὴν χώραν τὴν σφισι ὑπὸ τὸν Ὑμησσὸν εὐῶσαν* et *τείχος τὸ περὶ τὴν ἀκρόπολιν κατεῖλαι* et terram illam sub Hymetto sitam *πρότερον εἶναι κακὴν τε καὶ τοῦ μηδενὸς ἀξίην* eum rettulisse testatur. Haec ita describere non poterat, nisi ipse Atticam et Athenas vidisset. — Constat Miltiadem Lemnum expugnasse et Pelasgos, ut Herodotus dicit, ultum esse. Nescio an cogitandum sit in familiarum quarundum coetu, quae Philaëdis obtrectarent et inviderent, velut Alcmeonidarum, (Her. VI 126), illam versionem cultam et fotam esse, qua Miltiadis laudes Lemniae imminuerentur. Ex illis autem Hegesandri filius sua comperire poterat.

Neque deerant, quae traditionem Atheniensium ei improbarent. Primum enim illa de Pelasgorum in feminas Athenienses crimine narratio suspicionem eius movere poterat, quod similia eis erant quae de raptu feminarum posteriore proferebantur: Pelasgos, ut Athenienses ulciscerentur, Braurone eis festos dies celebrantibus insidiatos esse et feminis eorum raptis Lemnum rediisse (Her. VI 138). Fieri poterat ut Athenienses ex analogia posterioris delicti simile quoddam iam antea factum esse effingerent quo suam in illos iniuriam excusarent. Praeterea Athenienses dicebant se *παρεὼν αὐτοῖσι ἀποκτεῖναι τὸς Πελασγοὺς ἐπεὶ σφρας ἔλαβον ἐπιβουλεύοντας οὐκ ἐθελῆσαι, ἀλλὰ σφι προειπεῖν ἐκ τῆς γῆς ἐξιέναι*. Merito quaeri poterat quaenam singularis illius clementiae causa fuisset; quae cum afferri non posset tota narratio commenticia videbatur. Si cogitamus quantas poenas Graeci maxime feminarum violationis reposcere soliti sint, velut ipsum prooemium Herodoti docet, ubi gravissima quaeque bella eadem ex casu deflagrasse exponitur, credendum non est, Athenienses eis, si talia re vera deliquissent, tam

levem poenam imposituros fuisse. Clementiae igitur praetexto tam futili vix quemquam nedum Hecataei criticam aciem decipere poterant. — Fortasse etiam ea quae de Pelasgis ab aliis expulsis similia narrabantur, velut a Thessalis (cf. Deïochi fr. 5 Muelleri), Hecataei suspicionem movebant.

³²⁾ Nam ex sculpturis illis, quibus reges res a se gestas et copias suas saxis infixas ornare et memoriae tradere solebant Herodotus vestimenta barbara non sumpsit, nisi forte *χάλκεα κράνεα, κιθῶνας ποικίλους* (VII 61) *ῥόπαλα ξύλων τετυλωμένα σιδῆρω λινέους θάρηκας* (63) *τόξα καλάμινα* (65) *εἴματα βεβαμμένα* (67) *χειρὰς ποικίλας* (75) saxo insculpta distingui posse credemus. Singularum quoque gentium in vestitu similitudines tali modo multo minus animadverti poterant; de quibus Herodotus plurimus est. Tot autem gentes tam diligenter tabula pictas esse nescio an non magis credibile sit.

³³⁾ Fr. 4. Choerilus Syrios Palaestinenses longe aliter describit atque Herodotus (VII 89). — Quod de Ori-thyia ille agit, sicut Herodotus (VII 189), ne lecta quidem ab hoc illius Persica comprobatur, nedum exscripta. — fr. 3 de Sacis ab Herodoto plane discrepat (VII 64), neque ulla similitudinis inter utrumque vel umbra apparet.

T a b u l a:

	B.	P.	NRa.	Aeschylus.
I.	<ul style="list-style-type: none"> Persia Susiana Babylon Assyria Arabia Aegyptus 	<ul style="list-style-type: none"> Susiana Media Babylon Arabia Assyria Aegyptus 	<ul style="list-style-type: none"> Media Susiana Parthia Aria Bactria Sogdiana Chorasmia 	<ul style="list-style-type: none"> Susa Ecbatana Cissia Aegyptus (Nilus Memphis Thebae ἐλειοβάται ἐρεται)
II.	<ul style="list-style-type: none"> ei qui mare accolunt Sardes Jonia Media Armenia Cappadocia 	<ul style="list-style-type: none"> Armenia Cappadocia Sardes Graeci continentem et insulas incolentes 	<ul style="list-style-type: none"> Drangania Arachosia Sattagydae Gandaria India Sacae 	<ul style="list-style-type: none"> Lydia (Sardes Tmolus) Mysia Babylon
III.	<ul style="list-style-type: none"> Parthia Drangiana Aria Choarasmia Bactria Sogdiana 	<ul style="list-style-type: none"> Sagartia Parthia Drangiana Aria Bactria Sogdiana Chorasmia 	<ul style="list-style-type: none"> Babylon Assyria Arabia Aegyptus 	<ul style="list-style-type: none"> III-IV. } <i>μαχαροφόροι</i> ex } omni Asia secuti.
IV.	<ul style="list-style-type: none"> Gandaria Sacae Sattagydae Arachosii Macae 	<ul style="list-style-type: none"> Sattagydae Arachosia India Gandaria Sacae Macae 	<ul style="list-style-type: none"> Armenia Cappadocia Sardes Jonia Sythae transmarini Scudrae Jones „qui coronas ge- runt“ Putiya Kushiya Maciya Karka 	

Sententiae controversae.

I.

Vaticinium ab Herodoto III 77 traditum non ad pugnam Salaminiam, sed ad Marathoniam pertinet.

II.

Herodotus ubi mille ducentas septem Persarum naves ad Salaminem dimicasse narrat (VII 184), eundem fontem quem Aeschylus exprimit, non ipsum Aeschylum.

III.

Cic. Tusc. III 2, 3 legendum est: „ut nobis non optime naturae vim vidisse videantur.“

Vita.

Carolus Fries natus sum Altonae in oppido Holsatorun. a. d. III. Non. Mai. anni h. s. LXVII., patre Ludovico, matre Idâ e gente Salomon, quam superstitem esse gaudeo. Pater anno h. s. LXXVIII. morte mihi abreptus est. Fidei addictus sum Judaïcae. Litterarum elementis in gymnasio Fridericiano Berolinensi, cui tunc praeerat Carolus Kempf, imbutus sum. Vere anni h. s. LXXXVIII. maturitatis testimonium in gymnasio Ascanio adeptus, cui praeest Woldemarus Ribbeck, ad universitatem litterarum Berolinensem me contuli civiumque in numerum a Schwendenero, rectore, viro doctissimo receptus sum, studiis Graecis, Latinis, Germanicis, historicis operam daturus. Instituerunt me viri doctissimi: Diels, Dilthey, Geiger, Huebner, Jastrow, Kirchhoff, Rothstein, Er. Schmidt, Jo. Schmidt, Vahlen, Weinhold, Zeller. Exercitationibus interfui Dielsii grammaticis per quinque semestria, Vahleni philologis, Jastrowii historicis, Rothsteinii Latinis. Seminarii regii Germanici utriusque sectionis sodalis ordinarius fui per aliquot semestria, moderantibus C. Weinhold et Er. Schmidt. Quibus viris omnibus gratias ago quam maximas. Eximia tamen laude Hermanni Diels, Erichii Schmidt, virorum humanissimorum, erga me merita praedicanda sunt, quae gratissimo animo recordari numquam desinam.